

12

N. L.

S.

I. N. D.

# CONTEMPLATIO- NUM MUNDI

DISSERTATIO DUODECIMA,

De

## TERR-AQUEI GLOBI FABRICA EXTERNA QUOAD ARIDAM ET LIQUIDAM.

Quam,

DIRECTORE  
DANIELE ACHRELIO,

Defendere parat

CHRISTIERNUS B. D 21 57 57 21 X/  
Wex-Smol,

In Auditorio Maximo ad diem Aprilis,  
Anno M. DC. CCC. I.

---

Excusa à JOHANNE WALDIO, Reg. Univ.  
Aboëns, Typogr.

VIRIS

Praeclarissimo, Spectatissimis, atque prudentia laude egregiis

MAG. JOHANNI FLACHSENIO,  
Athenæi hujus Regii Mathematum Professori  
celeberrimo, Consistorii Academicici Assessori gravissimo,  
Meccenati ac Patrono magno.

DN. LAURENTIO BÄCKER/  
Fisci publici Holmensis Directori accuratissimo, Promo-  
tori & Evergete multis nominibus colendo.

DN. HENRICO BRENNERO,  
Dicasterii Regii, quod Aboæ est, Notario perindustrio,  
fautori qvovis officii cultu prosequendo,

DN. JOHANNI BÄCKÖSTER/  
Inclytæ civitatis Aboënsis civi perfidiæ & mercatori in-  
signi, Nutritio liberalissimo, benefactori multū honorando.

DN. WILHELMO WÄRGENEJZN/  
Ibidem Negotiatori circumspecto, benefactori perpe-  
tim observando.

DN. MAGNO BENED. HAMMAR/  
Collegii Admiralitatis Holmensis officiariori spectatissimo,  
fratri meo germano charissimo.

Dn. Patrono, Fautoribus & Benefactoribus  
reverenter colendis, disputationem hanc Geo-  
cosmiam, meâ qualicunq; operâ ad defen-  
dendum suscepitam consecrat & inscribit.

CHRIST: HAMMAR.

## C A P . T E R T I U M .

*De externa Globi Terr-Aquei fabrica, & quidem sigillatim arida.*

§. 1.

**S**ic lustrata, quantum ingenio nostro adsequi licuit, ipsius Terreni globi interiori constitutione, illisque viscerum cellariis, in quibus, admirando motu ludit elementorum mixtio. Nunc ad contemplandam exteriorem Terreni mundi faciem, paulatim properamus. Opus sane concinnum, magnificum, humanam curiositatem superans, magnitudine amplissima, ornatu elegantissimo, diversitate rerum incomprehensibili, cum partium universarum venustissimo consensu; qui, aptatus membris, usu commodus, in motu constans, in constantia perfectus, in perfectione Divinum ordinem monstrat. Videbis ibi continentes amplissimas, hic insularum adspexit pulcherrimos, alibi Oceani liquida, aride circumfusa. Cujus mirabilia ut mox videbimus, ita nunc Telluris sacra perambubare placet.

§. 2. Prima continentum est ipsa E U R O P A (quam-<sup>Europas</sup> & huic connectantur Asia & Africa:) temperie aëris, opulentia agrorum, ceterarum rerum beata copia celeberrima. Hęc ab ortu mare habet Āgæum, Pontum, Maeotim, Tanaim, è cuius flexu linea porrigitur ad ostium fluminis Obij. Ab occidente oceano terminatur occidentali. A meridi excurrit ad freti herculei ostia, traetumq; mediterranei æquoris. A septentrione clauditur mari Hyperboreo. Figura E U R O P A, propemodum repräsentat imaginem Fœminæ jacentis & extendentis brachia, in qua, Scheleton capitis refert Hispania cum Portugallia; monile circa collum exhibent montes Pyrenei; Gallia pectus cum parte Germania, ubi juga alpium, instar papillarum protuberant:

Z

Bra-

Brachium dextrum Italia, digito extento tangens Siciliam: Sinistrum Anglia, Scotia, Hibernia; Ventriculum decircinant Germania & Polonia spacia, ubi umbilicium extollit Bohemia. In sinistro Cruri jacent Dania, Norvegia, Svecia; in dextro sitæ sunt, Lituania, livonia, Ingria. At regiones Lappia, pars Moscovia, proopensis Tartaria, Illyricum, Dalmatia, Croatia, Selavonia, Romania, Valacchia, Moldavia, Bosnia, Bulgaria, Tracia, Macedonia, Grecia, in vestium fimbrijs implexa convolvuntur. Cæterum Europa in Zona Temperata Septentrionali ita extenditur, ut circulum arcticum paululum transcendat, tropicum autem cancri, non dum attingat. Hujus longitudinem, latitudinem, amplitudinem provinciarum, & numerum Regnorum, pectere potes è Scholis Geographorum.

*S. 3.* Ad latus Europæ jungitur amplissima illa Asia, facunditate soli, salubritate loci, & benignitate cœli commendabilis, adeoque, ob varietatem fructuum, passionis magnitudinem, gemmarum, lapidiorum, aromatum, cuiuscunq; generis divitem proventum, latis superque inclita. Ab orru cingitur mari Eōo, sive del Zur. Ab occasu sinu Rubro, Isthmo judaico, ceterisque istis locis, quæ Europa orientalia habet, Meridionales partes ambit Oceanus Indicus; septentrionalia claudit æquor Schyticum. Forma Asia ex parte ad simillari potest cranio Humano, cuius occiput moscoviae pars, sinciput universa Tartaria, cum adnexa China, binos oculos Pontus & Caspium, superiorem maxillam Natolia, inferiorem Arabia, Persia, utraq; India, tam intra quam extra Gangem representat, futuras vero exhibet Tsozovia fluvius, & late diffusi, eum Caucaso, Taurici montes: Asia quoniam magnitude fere superat Africam & Europam, totam non saltet Zonam temperatam borealem occupat, verum etiam utrinque & polum versus, & in ipsam Torridam, Terras effundit.

Africa.

*S. 4* Pars tertia Continentis majoris, nuncupatur AFRICA virulentis quidem bestiis plena, & in quibus-

busdam locis fructuosa, arida, inhabitabiles, portentosae tamen agrorum feracitate, toto humano generi, dudum notissima. Ejus orientalia littora lambunt mare Indicum sinusque Arabicus. Occidentalem vero marginem, pulsant fluctus Atlantici & Aethiopici oceanii. Ipsa septentrionalia alluit mare mediterraneum. In meridiem extensum Bonæ spei promontorium, cingit itidem Oceanii Liquor. Corpus Africæ ferè est elaboratum in signum perfecti cordis, latiori spacio inter Atlanticum & insulam Zocotaram extensem, deinde paulatim usque ad ultimum caput, venuste in graciliorem effigiem contractum. Locum vero nacta est, in Zona Torrida, ita tamen, ut utrinque extra eam, decem pluresque gradus, extendat aridam; amplitudine cedit Asia, superatque Europam.

§. 5. Continens minor est AMERICA seu INDIA <sup>Amer.</sup> Occidentalis, Terra ingentis magnitudinis, Longitudo rica. incipit prope fretum Anian, excurritque ad Magellanicam insulam, latitudo tanta, ut ceteras partes orbis ferè aequet. Abundat auro, argento, gemmis, & plurimis frumentis, fructuum, & aromatum generibus. Ab ortu habet mare Atlanticum, & mar del nort; ab occasu Pacificum æquor; à Meridie terram australem incognitam; à Septentrione itidem plagas non dum Lustratas, ceterum Typus Americæ, non inconcinne Calicis ostentat formam, superiora labia seu ipsam cavitatem borealior pars, australis vero, basin seu pedem figurant.

§. 6. Præter Continentes hactenus enumeratas, per Insula universum Terrenum Mundum dispositæ sunt Insularum Oceanii classes. In Oceano orientali apparent Corea, Japan, Philippinæ, insulæ Iatronum, Moluccæ, Ceiram, Gilolo, Celebes & Borneo. In Meridionali Oceano, jacent Sumatra, Zeilan, Zacobara, Madagascar, Alcensionis S. Matthæi, & plures aliæ. In Occidentali Oceano cernimus

Hesperides, Canarias, Asores, Gades, Angliam, Hiberniam, & Orcades cum pluribus allis. In septentrionali situm obtinent, Islandia, Frislandia, Grönlandia, & Nova Zembla; sed nec suis insulis carent majores Oce-  
Insulæ ani sinus. *Mediterraneum mare ostentat Balearicas, Sici-  
linum, Liam, Meliten, Liparas, Cretam & Coreyram. Ægeum ma-  
re Eubœam, Cyclades & Sporades habet. Sub Natolia,  
Rodus & Cyprus. Mare Balticum Zeelandiam, Fioniam  
Langeland, Rugiam, Oesel, Oelandiam, Gotllandiamque  
ostendit, cum innumeris aliis per sinus Bonicum & finni-  
cum dispersis. In sinu Mexicano occurruut Cuba, Jamaica  
Hispaniola & California; ut plures taceam, quas ex inspe-  
ctione apparum felicius additese, addititis Geographis  
Cluverio & Sculthesio.*

S. 7. Superius necessitatem montium eorumque com-  
paginationem exposui, nunc aliquid subjungam de ipsa  
*Montes* illorum utilitate; Quidam montes, ex suis uberibus fontes &  
*Terra*, flumina emittunt, ad alendas & fecundandas benefici li-  
quoris munere, regiones, campos, & agros; ut ex fluminib-  
us *Danubio, Rheno, Euprato, Gange, & Nilo* constat, qui  
ex Alpium, Tauri & Lunæ radicibus manant. Alii perpe-  
tuos eructant flammarum igniumque globos, ut compertus  
est de *Aetna in Sizilia, Vesuvio in Campania, Hecla in  
Islandia*, ceterisque per Afram Africam & Americam dis-  
positis fontibus ignitis in visceribus montium, idque in  
summum naturæ bonum. Nam quemadmodum sanguis  
& spiritus in corpore humano, per suas venas difunduntur;  
consimili ratione ignis & Aqua in megacosmo, per suos  
canales ruunt, adeoque ad sua orificia, tanquam genuina  
spiracula, indefessa pericyclosi tendunt, ut ope mutua & re-  
ciprocæ actionis concordia, naturæ semina, animant, tum  
intra terræ viscera, tum in ejusdem superficie. Et ea pro-  
pter constituit quoque *Natura Artifex* fibras aëreas, in qui-  
bus, subterraneus ventus hosce misceret, & ubi opus  
fo-

foret, aliquando sese per crateres Æolios evolveret. Præter hasce, sunt & aliæ utilitates montium, metalla & mineralia varij generis, suo utero continent, ignisque virtute veluti in fornace quadam decocta, in usum mortaliū servant: Rabiem ventorum ad promovendam herbarum foecunditatem coercent ; animalia æstivo fervore lassa, montana invitant, ad capiendum refrigerium pariter ac sanitatis restorationem : Etiam Solis fervorem temperant, lucis & umbrarum miscent gratiam, caloris pariter incrementum proportionatum reddunt : quippe dum radii siderum, intra montium anfractus, vario flexu operationem intendunt, halitus vaporesque ad meteorologicas impressiones efficiendas eliciunt, unde innumera emolumenta consurgunt, quibus careret omnino terra, si in planam superficiem fuisset distenta; adde nunc amoenitatem prospectus & diversarum regionum qualitatem, quæ non aliunde provenit, quam ex naturali constitutione circumitorum montium.

§. 8. De summitatibus Geocosmi jam egimus, sequuntur cavitates & antra, in quibus etiam sua commoda <sup>Vorsigis</sup> explicat natura; de iis quæ intimis penetralibus conduntur <sup>nesTerra</sup> superius dixi, de hisce quæ in immensa vastitate, aut in minori cavitate, in extimam superficiem exitum pandunt, hæc placuit notare. Cryptatum varia sunt genera; quædam medicinali virtute pollent; aliæ metallicis vaporibus secent; nonnullæ venenosis halitibus turgent; plures sunt Glaciales plenæque nivibus; multæ continuos flatus emittunt. Nec desunt, quæ pro ratione complexionis terrenæ substantiæ, virtute resolutiva, restrictriva & congelativa sunt præditæ. Alia succo petrifico, vel aromatico odore, aut oleo, bitumine, sale, vitriolo, naphta similibusque abundant. Quorum in universum antrorum, varia quoque sunt forme, quædam latè patent excavata; alia altè demissa; nonnullæ in-

longum porrecta, ut integris regionibus amplitudine non cedant; plures multiplices habent aditus & recessus; in alijs cogitur naturæ semen, in aliis temperatur calor, in aliis refrigeratur aura, in aliis belluæ, dracones & aves nidulantur.

**Planities Terra.** §. 9. Ingens quoque naturæ majestas sese pandit circa Terreni mundi Campos & Sylvas. Quædam planitierum cultura sunt aptæ: Aliæ petrosæ, arenosæ, & desertæ, plures in immensam latitudinem porrigitur, nonnullæ nemorum varietate iterum sunt distinctæ. Prius illud camporum genus, ubique terrarum, ubi modo incolæ inveniuntur & cultura vigeret reperitur, soletque dividi in agros, hortos & silvas. quarum itidem magna est varietas, in Finlandia Svecia & Norvegia multa abies, pinus altissimæ, tum Betulæ, Alni, & juniperi ingens copia: In Germania præter hasce arbores, etiam quercus, fagus, Pomaria spectantur: In Gallia & Italia, Castanea dominatur: Africa palma abundat: ad Promontorium viride habentur Citriorum silvæ: Zeilanus cinnamonum alit: Nuees muscatas moluccæ insulæ producunt; verbo, sylvarum varietas sequitur naturam regionis, que cum in quovis climate variat, immensa quoque oritur arborum diversitas. Polonia, autem Muscovia, Tartaria, latè diffusos habent saltuum recessus, vastitates, & omni humano cultu destitutos trastus. Iam quanta arena & sabuli congerie squalerat Africa! quam petrosa planicie Arabia! quot deserta loca exhibit utraqæ America! quo horrore & formidine longè lateque exporrigitur in agro puteolano illi campi, quos Plinius & veteres, Phlegreas vocarunt! Fumigant hi perpetuo, ignes flamasque evomunt, materia coloreque sulphureo flavent ubique, aliquibus in locis aquas pingves & luteas in altum evibrant, Cacabum diceres, pice & resina bullientem: sed de hisce omnibus, cum prolixum sit narrare, adire potes Historicos, Grographos, Itineraria. Id saltē addo, Camporum, sive Plantis,

herc

herbis; profundis silvarum molibus fuerint consiti; aut igne  
extuant, vel saxis constrati, seu arena, sabulo, glareæ steriles  
sunt, ingentem tamen aridæ præstare utilitatem. Nam si-  
dera, cum indefessa operatione Vapores ex Oceano & Aquis  
extrahant, sit, ut dum in pluvias resolvuntur, immanni in-  
undatione Terram infestarent, ni talia spongiosa loca, avi-  
do magnetismo, humorem imberibent, & tantam cladem  
averterent.

### CAP. QUARTUM,

#### *De Oceano, undarum motu, fontium & fluminum origine, tam miraculis aquarum.*

##### §. I.

**O**Ceanus appellatur universus ille aquarum limbus, Oceanus  
qui orbi terrarum est circumfusus; cui omnia maria  
& lacus, per freta, aut canales subterraneos conjuguntur.  
Hic ut unus tantum est, ita ratione variarum regionum,  
quæ alluit, diversas denominationes babet. Enim verodum  
poli borei plagas præterlabitur, *Sarmaticus*, *Schyticus*, *Tar-  
taricus* & *Hyperboreus* nominatur; dum undas agit versus cat-  
dinem orientalem, *Eous*, *Chinensis* & *Archipelagus S. La-  
zari* nuncupatur; Inde Meridionalia lustrans, induit no-  
mina *Maris Lantcbidol*, *Gangetici*, *Bengalensis*, *Persei*;  
Dum reliquo capite Bonæ spei inter *Africā*, *Europam* & *Ame-  
ricam* volvitur, *Atlanticus*, *Denealedonius* & *Occidentalis*  
consuevit appellari: At per freti magellanici gurgustia ite-  
rum extrusus, *Mare Pacificum* dicitur, omnium Aquarum  
maximum, ex uno latere oeciduas boreasq; partes *Americæ*,  
ex altero, australis terræ incognitos tractus alluvione distin-  
minans, tandemque per conjunctionem quandam devolutus  
per polum austrinum, reliquis Aquis miscetur. At vero  
Ocea-

Oceani finus: ut raeam tot minores portus: itidem sunt varijs,  
Maris Albi; Baltici, cuius extensa brachia Botnicus & Fin-  
nicus; Mediterranei, cuius partes Adriaticus, & Aegeum;  
seqvuntur Arabicus, Persicus, Gangesicus & Mexicanus; Ca-  
spium Lacus tantum est, & si non eo modo per aperta flu-  
mina ut Ladoga, Onega, Borneo & alij connectitur mari-  
bus, per occulta tamen subterraneorum canalium concilia-  
bula, jungitur euxino.

Motum Perpetuum Aquarum motus sunt planè varii.  
**Conflans** sive **perpetuus** appellatur ille, qui inter Tropicos  
Solem inde sinentur sequitur, ab Oriente in occidentem ruens;  
qui nisi eminentiae terrarum obstarent, universum orbem  
æquabili gyro ambiret. Et hic in Zona torrida maximè est  
conspicuus; Causa hujus est Sol, qui ubi normaliter Oce-  
ano incumbit, eum extollit, ubi longius à perpendiculari  
recedit, subsidunt maria, & aliquanto inferius quam antea  
deprimuntur; Cum igitur illa æqua, quibus Sol ad per-  
pendicularum imminet, altius elevantur, quam sequens maris  
planities, que Occidentem versus porrigitur, ac non dum  
rectos hujus sideris radios experta est, necessario contingit,  
ut ab altiore superficie, ad depressorem, seu ex oriente in occi-  
dentem fluctus volvantur. Alter motus **Annuus** nuncupat-  
**Motus Annuus**; Qui pariter fideliter comitatur Solem, nam cum sidus  
hoc, non in eodem semper versetur parallelo, sed modo bo-  
ream, modo austrum versus declinat, similiter quoque  
maris æstus afficitur. Sole septentrionalia signa tenente, &  
motus in boream inclinat, ubi ad australia descendit, illuc  
quoque vadit aquarum liquor. Tertius motus prioribus est  
contrarius, ab occidente in Orientem tendens. Ubi prior  
**Motus** desinit, hic incipit, & prout generalis in occasum inelinet,  
ita hic utrinque illum præcingit. Scilicet cum mariæ in  
Torrida perpetuo ab oriente in occidentem ferantur, necel-  
sum est ut alterum horum eveniat, vel ut ille terræ tractus,  
unde æqua recedere intipiunt, penitus nudetur, vel ut  
alia

alia aqua succedanea cavitatem hanc impletat; Cum vero prius falsum est, sequitur alterum evenire, & diminutionem illam aquarum compensari ab aquis utrinque allabentibus: nec mirum duos motus concurrere, quia fluidorum alia est ratio, quam solidorum corporum. Quartus motus, seu mēn-  
struus seu diurnus, fluxus & refluxus, seu intumescētia & men-  
detumescētia diutius, sit, quando certis horis aqua, vel extollit-  
situus & adfluit, iterum totidem horis deprimitur defluitque.  
Æstus hic in Oceano magnus est, licet non adeo sensibilis; refluxus &  
In fluminibus vero, cavitatisque signum, notatur mani-  
festus; sic in mediterraneo ab occidente versus orientem tendunt fluctus; in sinu vero Arabico, ab austro versus septentrionem, volvuntur undæ. In Belgio flumina, crescen-  
te mari æstu, ad 12 penè leucarum intervallam retrocedere  
cernuntur: Tamesin Londini, 6 horarum spacio, tribus ferè  
passibus intumescere, autores scribunt. Hujus intumescen-  
tia & detumescētia causa, cohijsienda fortè erit, in opera-  
tionem Lunæ, ut humidorum omnium, ita cum primis  
maris reginæ. Enimvero ut hæc, radioso suo cono, totum  
ferè terreni globi hemisphaerium comprehendit, suaque dilatazione aquam in tumores concitat, sit, ut ad ortum Lu-  
næ intumescat mare, ipsaque aquæ ejus adspicere velut dilatazæ gaudio, alveo suo dum nequeant contineri, ultrò  
obviam procedant, suamque ductricem continuo incremen-  
to ad meridianum usque comitantur; ea vero discedente,  
& ipse labascunt, suosque in alveos, perpetuo servato vicissitu-  
dinis cursu, revertuntur. Quintus motus Currens consuevit Motus  
appellari: contingit multipliciter, vel ex generali motu Euroze-  
currendo, ad imminentia regionū littora impulsus; vel ex horridis res.  
ventorum flatibus; vel denique ex motu fluxus & refluxus  
reflexo. Quæc Canarijs insulis, in Mexicum solvunt, ait  
Kircherus, currentibus Oceani maxima parte vebuntur, qui  
intra Cubam & Hispaniolam & continentem nove Hispanie,  
adeo vebentes sunt, ut fluminis impetum referre video-

antur; navibusque semel in bujusmodi favees conjectis, nulla recessendi facultas datur; sentiuntur hi motus, non saltem in ipso Oceano, verum etiam Maribus, ubi magna vehementia illis ad promontoria, reflexusque, vehementes fluctus vel commotiones, vel absorptio[n]es & regurgitationes excitat, quæ decircinant undas, deinde in libera sequora vadunt. Exemplum talium præbet Mediterraneum mare, fluctus nunc ex meridie in borea & contra, nunc ex ortu in occasu, nunc rursus reciproco motu, subinde contrariis & anomalis volvens; sæpe ex recto in circulos & gyros abit, iterum è spiris evolutu, in alias aliasq; oras, æstus dirigit, jam crecit decrevitque, iterum in quibusdam littoribus, ne vestigium quidem æstus talis deprehendas. Cujus currentium motuum causa est, tum Luna, specifica qualitate operans, tum montium & promontoriorum protuberatio, insularum hinc inde dispersarum situs, sinuum ventis recipiendis dispositio; fundi varia inæqualitas, denique fluminum vehementia, immani furore in ipsa maria aquarum moles devolvens. At gurgites, quæ absorbent omnia, naves, balneas, aliave, intra crateris circumferentiam illata, eademque totidem horis evomunt, cum impetuosa universi mari agitacione, hanc forte agnoscunt prodigiorum effectuum causam. Ex ipsis fratribus, ubi natura hosce vortices molitur, difunditur per fundi cavitates, submarini cuniculi, qui per occultos mæandros junguntur circuositatis maribus & Oceano. Hinc aqua tempestatisbus concitata, magna vi, per istas venas regurgitatione quadam ac ebullitione protruditur, sive refluenteribus maribus, per voragini liquor quoq; refluit, adfluentem aquore, violento motu iterum redit regurgitatq; hoc limpidu[m] elementu[m]. alia vero ratio est cum illis vorticibus, qui aqua in gyru[m] saltim circumagunt, nempe inæqualitas fundi, & ex fluminib[us] effusa undarum rabies, hos motus concitant. Sunt quoq; & aliij mari[m] motus, qui nascuntur vel ex ventis, quorum magna est varietas, unde maria perpetuis agitationibus, nunc in has,

nunc

nunc in illas partes pelluntur, nunc cessant, iterum incipiunt, Alii mox sine ordine discurrent. Vel ex subterranei ventus rium furore, qui per fundi meatus tacta irruptione, aquas continuo agitat; Sic ad litus Bascum, ait Varenius, quod haud procul Bajona Britannicum mare submoveat, locus est, quem incole vocant Cap breton; Ibi aliquando mare sine ullis ventis adeo turgescit, ut jam jam littus ipsum obsecum iri videatur: deinde mox subsidet. Similis intumescens in lacu Scotie dito leumond, deprehenditur à spiritu subterraneo, vel ob mariū comunicata, per submarinos canales, reciprocā negotiationis commercia, vel ob annuum ingenitum fluminum, in æquora se se exonerantium validū impetu, quo maria vel recta propelluntur aliquousq; vel in turbines agitantur, aut deniq; in æstus inconstantes rapiuntur. Sic fluxile hoc elementum, perpetua pericycloſi & incessabili quodā conflau, tum siderum, tum ignis, deniq; & æris influxibus & operationibus agitatum, non solum per exteriorem geocosmi faciem pulcherrimo motu vadit; verum etiam per incognitos occultosq; ductus, per tortuosas ambages circulatum, in ſemen naturæ, rerumque omnium alimentum coneoquitur, quod ab innumeris fœcibus depuratum, toti mundo redditur ſalutare.

Periclo-  
fis  
sq;as  
rum.

9. 3. Cæterum de origine fontium, fluminumque, cum Fontium diversæ ſint Scriptorum ſententiae: Alijs ſcaruriginem adſcribenib; Vaporibus, in interioribus cavitatibus montium condensatis, moxq; resolutis: Quibusdam Pluvijs, tum liquefactis nivibus, in fissuris ac cavernis terrarum, unde invento meatu efflunt, ac in fontes, flumina, amnes formantur: Nonnullis subterraneo aëri, vapore & Terrenæ ſubſtantie ita transmutata; quæ olim fuit opinio Senecæ lib. 3. Q. N. Cap. 9. & 10. Placeat nobis terram esse mutabilem. Hoc quoque quidquid efflavit, quia non aëre libero concipitur, crasf-ſeffit, & protinus in humorem convertitur. Habes pri- mam aquarum sub terra nascentium cauſam. Adijcias etiam licet, quod omnia fiant ex omnibus; ex aqua aër,

*ex aëre aquâ ignis ex aëre, ex igne aér, Quare ergo non terra fiat ex aquâ & ex terra aqua, &c.* Hæc ejus fuere vocabula. Mihi ut in aliis, ita hoc quoque in punto nequam animus est discedere à scripturarum Auctoritate, Patrum, Theologorum, Philosopherum, & ipius experientia clarissimis testimonii. Sapientissimus Salomon, dum sermonem habet de rerum sublunarium inconstantia, ex eorum indefessa pericyclost argumenta dicit præcipua, nimirum ex circulari Solis motu, Ventorum gyro, tum animalium & plantarum nativitate ex terra, redditum in hanc, ut iterum prodeant. Et porro ad eandem circulationem probandam, etiam profert exemplum fluminum, quæ omnia intrare in mare, & illud non impleri, ad locum quo abeunt torrentes, ibi reverti ad abeundum facetur Eccl: Cap. i v. 7. vera igitur causa fontium est ipsum mare. tum quia initio r̄atum, Gen: Cap. 2. v. 6. & 10. fons ascendisse dicitur, qui irrigabat universam faciem terræ. fluiusque de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum; tum quod flumen plurimi habeant expressum consensum cum mari, ad eoque prout illud fluit & refluit decrescent & augmentur. tum quod eorum vastitas, perennitas, salcedinis qualitas, non alio modo possit defendi & explicari. Est autem sermohoc loco non de Torrente, cuius aqua aucta imbris & liquatis nivibus collecta, temporis successu evanescit, nec de aqua subterranea, quæ intra viscera telluris conclusa, per suas venulas ruit, sed de Fontibus iugi ebullitione aquas evocentibus, de rivulis modica aqua perenniter fluentibus, & de Fluminibus copiosas aquarum moles, per latè patentes alveos exonerantibus, quorum cursus, nisi obstructa fuerit origo, nunquam interrumpi potest, & horum abundantis liquoris materiale principium jam ipsum Mare fore diximus.

S. Porro in explicando modo, quo aqua ex mari per hydrophylacia subterranea ad montium capita elevatur, indeque effusa, abeat in flumina, itidem consimilis est Aus. & orum

ctorum discrepancia. Quidam ipsi Deo vel Angelis Modus  
hoc negotium adscribunt, simpliciter quidem id est pietate. Di-  
vina enim providentia opus existimat, aquarum ascensio-  
nem est per terram distributionem. Seu Intelligentiarum, derivas  
quas ut Cælorum orbe, movere motu perpetuo et regulari, aqua.  
sic Terrarum commoda procurare, est ad altissimas fontium  
Scatebras, aquas marinas trahere autumant. Verum ubi ra-  
tiones naturales occurunt, non opus est recurrere ad illas su-  
pernatiales virtutes. Alij demum, Terram ingens animal fore  
contendunt propria anima informatum, qua omnes ejus partes  
vivificalis est sevet. Et hanc aijunt dirigere aquam in mari et terra  
cavernu concretam, per meatus ad loca unde fontes scaturiunt.  
At vero quis hoc commentum non leviori risu excipiet.  
Sunt quoque qui Terram & Aquam duos constituere glo-  
bos & quidem excentricos putarunt, Globumque aquæ esse  
longè majorem terræ, hanc vero huic innatare. Sicque  
Tellurem multis tubis perforatam, suo pondere premere li-  
quidam, eoque modo per ipsa foramina aquam ebullire:  
quos pariter conceptus contra indolem naturæ, quis fabri-  
care audet. Hac enim ratione deberet Terræ globus ita  
immergi aquis, ut ejus suprema superficies, æquaretur al-  
titudini montium, in quibus fontes orientur. Alii rursus con-  
tendunt vires corporum coelestium aquam ex mari, per fi-  
stulas ad orificia fontium attrahere, quia corpora elemen-  
taria, juxta leges naturæ, sideribus obediunt. Sed & de-  
bilis est ista collectio, quia pluri fontes nunquam celi-  
sant, at astra in gyrum dum volvuntur, ab hisce sèpius  
recedunt. Quidam vero cum ipso mari intumescunt &  
derumescunt, quod fieri non posset, si adaptarent se se magnetismo stellarum, & demum nec notauiimus fistulam aquæ,  
sùb diu expositam, à sideribus exsiccati: frustra ergo  
dum commodior via se offert, confugimus ad æthera.  
Plinius halitibus spirituosis tribuit hunc effectum; Pineda agi-

tationi effus marini. Majolus obmetum vacui, aquas in altum  
eredit efferri. Fromondus & Cabæus Abyssosubterraneo &  
aquis pluvialibus nivalibusq;. Magnanus iudicat, marinas a-  
quas à terra sorberi, serptas in voragini colligi, deinde per  
rimulas, serpere & distribui. Demum multorum quoque  
eruditorum virorum, opinio est, mare esse altius terra,  
& efficere quendam in dorso veluti gibbum, qui altitudine  
sua superet omnium montium, è quibus fontes scaturiunt  
summitatem, & hanc ob causam decurrere aquas maris per-  
subterraneas venas, à maris fundo vel latere inchoatas, &  
usq; ad orificia, tortuoso circuitu vel recto tramite deductas,  
naturali motu, utpote ad loca decliviora, quam sit ipsa ma-  
ris superficies; que quidem sententia non adeo est erronea.  
Sed nec sua probabilitate carent, Athanasi Kircheri cogitatio-  
nes; purat quippe intra montes, lacus ingentes dispositos, hucq;  
per tortuosas semitas aquam ab ipso mari adfluxu, propelli,  
deinde in flumina excurrere. Approbarem hunc discursum  
nisi obstaret quod superius dixi, fontes tunc non fore peren-  
nes, sed nunc abundantiter fluere, jam minus large labi, iterum  
penitus cessare, quod experientia repugnat. Nos ergo hoc  
tam controversum negotium, simpliciter sic exponi posse con-  
fidimus. Et primo quidem supponendo, terrenam molem,  
usque ad ostia fontium syphonibus & hydragogis ductibus  
esse perfoßam; Deinde ignem subterraneum, in æstuariorum  
miras alterationes efficere; Aërem etiam intra cavernas va-  
gantem, nunquam otiosum fore; Tum ipsum Oceanum, al-  
titudine respondere summariibus montium. Demum ab ip-  
so tam vario aquarum motu, à Sole, Luna, Ventis, aliisque  
causis oborto, incredibili pressura aquas per universos ter-  
rarum poros cursu naturali diffundi, siveque ad gurgites  
fontium delatas, inde in rivos, amnes, flumina exundare:  
Quamquam non nego rivulos etiam ex vaporibus resolutis in  
cryptis montium nasci posse; pluvias autem & liquefactas ni-  
ves torrentes saltē, & mediocre amnes, fluvios nequaquam  
generare, sed admodum augere, statuo; idque diversis anni-

meq;

mensibus & temporibus, ut scribit Varenius. Sed nec attractio terræ vis, penitus excludenda; quippe aqua marina, per fundum vel latera transcolata, colligitur intra alveos subterraneos, hæc iterum à terra arenosa & sicca adjacente imbibitur, pervaditque liquor ipsam spongiosam massam, donec per aperturam fontium, destillet in alveos subjectos. Nec est quod aliquis regerat, aquam marinam ita evectam, sal sedinem prodere. nam in transitu per venas deponit hunc saporem, aliumq; induit, prout nimicū affecta est parietum qualitas, & eapropter per multos infractus ad orificia fontium repunt. Plura qui desiderat, legere potest Scotti Physico Hydrostaciam. Kircheri Lib. 5. Mundi Subt: Varenium, & alios.

S. 4. Nunc vero inter miracula aquarum numeramus <sup>Miracu</sup> primo sal sedinem Oceanii Mariumque, quæ in rerum initij. la aquo. ut cæteris rebus, ita hisce quoque liquoribus est donata, rum. nunc plus, nunc minus, usque ad insensibilem quantitatem. Et Terra, quoniam cum Aqua globum absolvat, sit ut ex tellure cuius omnes fibræ hoc sustent salugineum humorem attrahat Oceanus, in optimum sui condimentum Oceanum nutrientem tot animalium, tot plantarum in se & ex se viventium, quæ omnia exinde probamus, quod nulla aquæ soboles sit quæ sale careat. Ubi tamen notandum, licet totus liquor, continua fluctu concitatione agitatus, perfectam habeat salis mixturā, tamen magis salam esse aquam prope fundum quam in superficie, propter mineras salinas & copiosas salis venas, circa littora quoque ob eandē causam imbuī sal sedine magis, quam in medio æquoris. In Zona quoq; torrida vehementior sentitur saledo, quoniam SOL radiis perpendicularibus hanc serper ferit; hinc spiritus volatiles salis, in superficiem evocati, calore denique & æstu temperati, mirum in modum aquam reddunt salam. In zonis frigidis, & qua quidem est salis portio, propter frigus tamen intensum, irresolubilis manet fixior ille spiritus. In temperatis copiosum sal aquis est immixtum, quia in littoribus Sicilia, Calabria, & ali-

& alibi, marinas undas in certas areolas derivatas, paucorum dierum spacio in sal candidissimum calor solis concoctum quit. Secundo aqua quoque *Fontium* mirabiles habet effectus. Enimvero ut in Thermis, alia calida, alia tepida, iterum frigidissima, nunc salsa, vel sulphurea, bituminosa, mercurialis, vitriolosa, oleaginosa aqua nascitur, quas qualitates produnt sapor, odor, calor, unde effectus noxi vel salutares. Ita causam harum rerum putamus fore, tum ignes subterraneos, nunc magis vel minus aquas coquentes, tum diversitatem canalium, quorum unusquisque ejus naturae aquam fundit, cuius qualitatibus locus est, per quem tranfit. Si sale, si vitriolo, si nitro, vel sulphure, aut bitumine, nam pbita, antimonio, hydrargyro, arsenico, auripigmento, similibusque mineralibus salutaribus aut venenatis referta sunt, aquis transcurrentibus easdem qualitates communicant. Aqua quoque, qua<sup>e</sup> injecta quaelibet in lapides convertit, causam agnoscit copiam gypsi & tenacis luti, tum spiritum lapidisum, singula convertentem in laxeam massam. Tertio sciendum est, *Aquas pluviales*, ob exhalationum permixtionem marinis, lacustribus, fontanisque magis esse accommodatas; quod observatio generationis plantarum evincit, si modo silente celo, levu calu defluxerint, non itidem procella & tonitu fuerint excusse. Aquam pariter è nive liquatam, nunc salutarem, nunc noxiem fore, Schola medicorum docet. Quartò observarunt curiosi, flumina quoq; variis qualitatibus imbuta; In Europa *Tagus* aurum vebit, reliqui *Danubius*, *Rhenus*, *Rhodanus*, *Ticinus*, *Albis*, *Viadrus*, *Vistula* nequaquam suis carent degitibus. In Asia *Euphrates*, *Ganges* & *Indus* margaritas, lapiillosq; producunt; in Africa mirabiles vires sunt *Nili* & *Nigri*, dum in promovendis rerum generationibus pluviae vices sustineant. In America *Onellana*, *Orinocus*, *Parana*, dulcissimas aquas fundunt in oceanum. Scilicet Flumina sive aperto alveo decurrant, vel iterum se condant, moxq; sunt conspicua, vehunt omnino undas istius qualitatis, saporis, odorisq; qualia sunt loca, qua<sup>e</sup> præterlabuntur.

Ad

*Politissimum Humanitate ingenioque juvenem,*

**DN. CHRISTIERNUM BENEDICTI  
HUMANARI**

*όμοχώριον & amicum per dilectum :*

**M**Alleus ut duram tundens satis jetibus ingens  
*Affiduis Rupem, vi superare solet :*

**Tu** CHRISTIERNE globum terrestrem plectere pergens  
*Elicis & pariter quod didicisse juvat :*

*Scilicet experiens, Labor improbus omnia vincit,*  
*Vox quod sit consans; comprobo malle tuum.*

*divulgatio*  
**ENEVALD. SVEN:**  
Q. G. A.

**E**st quidem maximè curiosus iste labor, qui in earum rerum  
abditas causas, cum judicio inquirit, quarum dotes, humanos  
sensus omnes, planè effugiunt. Sed neque propterea spernenda  
illa cura, qua fideliter expendit immensam illam varietatis elegan-  
tiam, quam veluti jactabundo tripudio, coram ingenio explicant,  
magnetismi sensuum. Terrenus noster globus, quid non ostendat  
insigne, excellens, magnificum! pulcherrimas figuras aridæ,  
camporum ornatus, montium ordines, sylvarum paradisos, Aquarum  
miracula, tripudiâ fontium, fluminumque multiplices venas.  
Per quarum rerum laudabile scrutinium dum animum circumfres  
Politiss. Dn. RESPONDENS, generosa mente, barbaros istos  
rides, qui per contemnum & jocos in literatos & scientiarum flu-  
dia quotidie invehuntur. Scilicet illos Vanitas, hos sublimioris  
fati constantissimus genius commendant. Vale.

A. T.  
**D. ACHRELIO**

VIRO-JUVENI Pereximio ac Praestantissimo,  
**DN. CHRISTIERNO B. HAMMARI**  
 Sympatriotæ honoratissimo subito gratulatur:

**A**n latet hoc, Hammar! doctorum clara virorum  
 Proventa quid sit tellus Anerstadiensis?  
 Doctores genuit celebres, clarâ arte Magistros,  
 Quos numerare potest quoque vulgus ob ordine longo.  
 Hocce tuum natale solum cumviderit istos  
 Egregios, magnosque tuos tam præpeditis, Hammar!  
 Ingenil fatus; clarorum è catibus istud  
 Ergò tuum nomen laudati semperque retense.  
 Cum jam disquiris magni de fornice mundi,  
 Perlustras orbisque sitem vel mente sagaci;  
 Imples hoc pacto charorum vota parentum,  
 Et solidus tandem hinc evades malleus, Hammar!

MAGNUS FIORINUS.

**T**empore vernali ceu curvo imcumbit aratro  
 Ut carpat fructum Rusticus inde suum:  
 Et sic è studijs duros post mille labores  
 Colligit En! fructus sat studiosa cohors.  
 Id testatur enim juvenis Doctissimus Hammar!  
 Dum colit ingenium, multi juga arte bonum.  
 Vive diu! multumque vige, Charissime sautor!  
 Vive! & tu patriæ sis memor usque tuta!

PETRUS S. UENERUS. Reg. Al.

**L**aboris cui in studiis literarum indecessi felix successus alias sapientia  
 Me affecterit latitia, in nunc porissimum, cum Opiblico, eoque laude  
 quovis dignissimo id contestatum pergas. Quod tanto eibis impensis  
 gratulor, quanto formiori amicitia vinculo virtus tua me tibi  
 devincit, quoq; majoris tua in me sunt merita qua cum jam alia ratione  
 Non demereri possim. Calido Deum obecstor voto, ut vergant in illius  
 gloriam, Reipublicæ adjumentum ac tui ipsius insigne decus Genera-  
 mentum; ita sincero votet affectu et si manu propementi.

JOH. J. JONELIUS, Holmenfis.